

“ ALFONSO DE LIGUORI „
DE COGNOMINE ET NOMINE S. ALFONSI
BREVIS DISQUISITIO

PRAEMISSA

Duobus commentariolis quae sequuntur, in originem et antiquitatem cognominis et nominis s. Alfonsi inquiritur.

Cognomen DE LIGUORI, quod attinet, eius derivatio nonnumquam deducta ex influxu hispanico in regnum neapolitanum saeculis XIV et sequentibus exercitata, reicitur; sed probatur e contra antiqua et primitiva origo ex ipso territorio Italiae meridionalis. Remota origo huius cognominis cum magna probabilitate ad nomen alicuius sancti refertur, videlicet s. *Ligori*, quamquam de authenticitate huius sancti gravia remanent dubia. Origo cognominis e nomine alicuius sancti res omnino normalis et regularis est, quae saeculis IX-XI communiter observari potest. Certe constat inde a saec. X cognomen *Ligorium* seu *de Liguori* in regionibus neapolitanae ditioni subiectis exstitisse nec umquam usu defecisse, imo cognomen saepius nobilium evasisse.

Nomen vero ALFONSI originem « linguisticam » et historicam trahit a populo visigothico, qui saeculis VIII-XI impetui invasorum arabum heroice obstitit et ex extremo angulo paeninsulae ibericae, ex imperviis scilicet montibus Cantabriae, Gallaeciae et Asturiarum, continuis, durissimis, victoriosis bellis totam tandem Hispaniam christianae fidei restituit. Quando, inde a saec. XIV, etiam in regno neapolitano, sub dominatione hispanica constituto, certi mores et usus iberici sensim introducti fuerunt, nomen quoque Alfonsi in consuetudinem venit, quem Sanctus noster ad maximam celebritatem evexit.